

pauperum Somaschi
CANONES
C O N C I L I I

PROVINCIALIS COLONIENSIS

Anno . 1536 . celebrati .



Quibus nuperrime hæc addita sunt.
FORMVLA AD QVAM VISITA-
tio intra Diocesim Coloniensem exigitur.
REFORMATIO CLERI AD
correctionem uitæ & morum.
STATVTA SYNODALIA
D. Valentini Episcopi Hildesemensis.
FORMVLA VIVENDI CANONICO-
rum, uicariorum, & aliorum prebbyterorum secularium.



Venetijs, apud Ioannem Francesium.

1 5 4 3

4
1
24

DE HOSPITALIBVS ET ORPHANATROPHIJS, alijsq; id genus pijs locis. Cap. I.

Codi. de Episcopo, & clero,



Nunc solum canonicis constitutionibus, sed & imperialibus ac regalibus institutis antiquitus pientissime sancitum est, ut habeantur quae fieri potest frequentia in re-pub. xenodochia, Prochotrophia, Orphanotrophia, Gerotocomia & Brephetrophia, & id genus alia loca pietati consecrata, in quae recipiantur peregrini, pauperes, inualidi, senes, parentibus orbati, atque inopes liberi, infantes expositi, furiosi, leprosi, contagiosisq; ac perpetuis morbis obfisi, atq; aliae miserae personae. Idcirco curae nostrae imminet, ut eiusmodi loca, ubi constituta sunt, sarta tecta teneantur. Vbi uero dissipata sunt, instaurentur, reformenturq;. Deniq; ubi necdum constituta sunt, episcopali nostra prouidentia edificentur, construanturq;. Pauperum enim curam nobis Christus precipuam esse uoluit, & horum toties meminit diuinissimus Paulus Apostolus.

Matth. 26.
Marc. 14.
2. Corin. 8.

In hospitalibus i primis a te curade, deinde corpus. Ca. II.

Hic ante omnia curadum nobis est, ut in domibus istis, quae ad salutem aminarum pertinent, minime negligentur. sed ante omnia de sacramentorum administratione pauperibus debilibus & aegrotis prouideatur, Ac ubi corporis infirmitas medicum postulat, ibi prius animae, deinde corporis medicus accersatur.

In hospitalia qui recipiendi. Cap. III.

In eiusmodi autem hospitalia, nullae aliae quam eae, quas diximus miserae personae, quae aut morbo

DE HOSPITALIBVS.

89

aut debilitate, aut etate impeditae, suis manibus laborare, uictumq; ac uestitum sibi comparare non possunt, recipiantur, quas ad ecclesiasticam disciplinam canones pertinere ac nostris, aliorumq; piorum hominum largitionibus uictitare uoluerunt.

In hospitalia pauperes eius loci, ubi constituta sunt, potissimum recipiendos, maxime contagiosis morbis implicitos. Cap. IIII.

In primis autem recipiantur in haec hospitalia, personae miserae eius loci, ubi hospitalia constituta sunt. Quod si recte curatum fuerit, suffecerint pene (nisi tamen fallamur) iam constituta hospitalia, omnibus uere pauperibus per singula oppida ac uicos repertis, ut amodo illis non fuerit necesse ostiatim panem emendicare, aut eos qui lepra seu alio contagioso morbo impliciti sunt inter homines diuersari, quod lege diuina, ne fiat, prohibitum legimus. Nec immerito, quod ex tali commixtione ac conuersione cum sanis infinita pericula subsequantur, etiam ex solo aspectu, quod intuitibus horrorem solet incutere. Quod si leprosis alijsq; qui similibus morbis impliciti sunt, hospitalium, quibus addicuntur, redditus non suffecerint, satisfactius est, ut ipsorum nomine in conuentu ecclesiae elemosyna per aliquot uiros probos ad hoc munus deputandos, colligatur ac praestetur, atq; ut trunci in templis elemosynis istis colligendis asseruandisq; erigantur, quae ut ipsi morbo si alimoniae petendae obtentu, aut quocunque alio preetextu, consortijs hominum misceantur.

Mendicantibus ualidis hospitalia clausa, & mendicantem interdictionem esse oportere. Cap. V.

Sunt autem mendicantibus ualidis non solum hospitalia clausa, sed et publice ac ostiatim mendicare penitus interdictum. Et qui secus agere cōperti fuerint, arceantur, ac legalibus nostrisque constitutionibus comprehensis pœnis subdantur. Vtilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm eide frangitur, ut seductus, iniustitiæ acquiescat.

Magistrorum hospitalium prauī adfectus dānantur. Cap. VI.

Damnatus autem abusus, quo in quibusdam locis fit, ut neglectis miseris ac inopibus (quibus hospitalia dedicata sunt) ex priuato affectu magistrorum aut magistratuum, qui hospitalibus hisce præsunt, non modo ualidi, sed et quibus uictus et uestitus suppetit, recipiantur, tantum quod illic commodius et in otio uiuantur, qui certe aliter censerī non possunt quàm pauperū depredatores, raptoresq; de alieno uiuentes, ac ueluti ex sanguine pauperum saginati. Quos diuvs Hieronymus grauissime increpat. Qui (inquit) ex bonis parentum et suis opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, et per abusionē talium, iudicium sibi manducant et bibunt.

Quam grauitē peccent, qui ex pauperum uictu se ditant. Cap. VII.

Viderint quoque hi magistri ac hospitalium præsides, ne ludam imitentur, qui loculos (ex quibus pauperibus distribuebatur) ferebat ac fur erat, ne sicut ille, ita et ipsi pereant. Nouerint ergo se tali muneri addictos, non ut sui, sed ut pauperum curam ge-

rant, quos neglexisse, occidisse est, quid subtraxisse, sacri legij instar est. Et quo uigilantiores in officio sint, singulis annis, aut sepius, magistratui eius loci presente parco cho rationem de omnibus reddant. Non meum est (inquit Prosper) dicere, quantum peccatum est eorum qui cibos pauperum sibi usurpant, et unde pauper uicturus erat, presumendo suscipiunt.

DE SCOLIS, TYPOGRAPHIS ac Bibliopolis. Cap. I.

ECCLISIAE REFORMATIO à summis pariter et infimis, à capitibus simul et à paruulis ordiēda est. Paruuli enim sunt, qui succrescentes in maiorum locum subinde decedentium in reipub. tam ecclesiasticæ quam secularis administratione succedunt, ut consequens sit, ab ipsis prauē ac nequiter institutis reipublicæ perniciem imminere. Quamobrem summopere refert, ut pueritia, quæ seges est omnium rerum publicarum, in timore domini ac bonis disciplinis edoceatur. Id quod dominus praecepit Exodi. 13. et Prouerbiorum sexto. Siquidem ea ætas nullis alijs usibus accommoda per id tempus colligere poterit et sibi et reipublicæ luculentum fructum. In primis autem operæpretium nobis uidetur, ut clancularij illi magistrelli, qui in conuenticulis uicatim docent, prohibeantur, utque gymnasia illa ac scholæ minores, in quibus pueri primis rudimentis imbuuntur, diligenter repurgentur, praefectis illis didasculis seu praeceptoribus, non tam eruditis, quam sanæ doctrinae, integræque ac inculpatæ uitæ uiris, idq; hac potissi-

Exodi. 13.
Prouer. 6.

num, tempestate, qua innumera pestilentes hereses totam fere Germaniam summo cum Christianismi ac reipublice detrimento, iusto dei iudicio peruadunt, ac ueluti cancer serpunt, Quas quum pueri semel imbiberint, difficile, imo impossibile erit, ut easdem penitus iterum eluant. Nam, Quo semel est imbuta recens seruiabit odorem Testa diu.

Scholæ inter uisitandum repurgandæ ac institutundæ. Cap. II.

Quemadmodum uero didascoli pueros in classes digerent, quæ dein ipsis prælegent, tam ad eruditionem, quam ad uitam Christianam recte instituendam pertinentia, nos inter uisitandum pro ratione cuiuscunque scholæ trademus.

Apud singulas ecclesias habendus uir eruditus, qui clericos eius ecclesiæ instituat. Cap. III.

Olim conciliari constitutione cautum est, ut non solum apud quamlibet cathedralen ecclesiam, sed et apud alias nimirum collegiatas, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus qui clericos earundem ecclesiarum doceat et instituat, Apud metropolim autem theologum haberi præceptum est, qui sacerdotes ac quoscunque alios in sacris literis doceat. Et in his præsertim instituat, quæ ad curam animarum pertinere dinoscuntur. Visum etiam Concilio fuit, ut singulis magistris unius præbendæ puentus tantisper quoad in docendo perfluerint, assignentur. Cuius quidem saluberrimæ constitutionis uix uestigia quædam apud eiusce modi ecclesias reliqua uidemus. Nā ut scholas ipsas re-

perias, didasculum tamen uix ulli eruditum ac pium reppereris, quod nihil penè stipendijs (ne dicamus unius præbendæ prouentus) illi suppeditetur, quod emendatione magna indiget. Neq; enim hæc res leuis momenti est, à qua totius propemodum reipublice salus, ita penitus dependet. Qui huic uiro uictum suppeditabunt. Cap. IIII.

Curandum itaq; ut singula Collegia ludos literarios diligenter instituant, eisq; de idoneis ludimagistris ac sumptibus prospiciant, ubi Collegia non sunt, senatus et respublica idem curet.

Quemadmodum Academiæ instaurari ac studia ali possint. Cap. V.

Academias seu Vniuersitates publicas per hanc heresum colluuiem misere perire cernimus, quas instaurari maxime in uotis est. Id fieri posse nobis uideatur, si modus aliquis inueniatur, quo pauperibus scholasticis ex ecclesiasticis stipendijs aliquid possit decedi, Clericos enim illos conuenit ecclesiasticis stipendijs sustentari, quibus parentum et propinquorum nulla bona suffragantur. Quo insuper professoribus atque his, qui in bonis literis, optimis quibusque disciplinis, ac in primis Theologiæ studijs multum profecissent, spes præmij fieret, Nam spes alit artes.

Pium uotum ad studia subleuanda. Cap. VI.

Et quanquam hic articulus à summo pontifice potissimum pendere uideatur, tamen q. in nobis est, cur peremus oēs ordinarios collatores, præsertim parochialium ecclesiarum, huc induci posse, ut academiæ potestatem facerent, significandi subinde ipsis uiros literatos ad

Concil.
Basilien.

Horatius.

e. v. & c. quia
nonnullis de
magis.

regendum ecclesias eiusmodi idoneos, quos ipsi collatores quibuscunque alijs non idoneis praeferrent, ac parochijs quum uacarent, praeficere non differrent, modo tamen personaliter residere non detrectarent. Quod si idem apud collegiatis ecclesijs (qui mense ordinario canonice & praebendas conferunt) obtineri possit, non dubium id plerisque, ad studia capeffenda calcar fore non exiguum.

Decretale Honorij tertij, quoad eius fieri potest, renouari aequum esse. Cap. VII.

Praeterea non parum huc fecerit, si Honorij tertij decretalis seruetur, nempe ut Canonici ecclesiarum diocesis nostrae Colonienfis dociles ad studia, potissimum theologiae, per capita transmittantur, percepturi toto quinquennio beneficiorum suorum fructus, non obstante aliqua contraria consuetudine uel statuto, cum denario fraudari non debeant in uinea domini operantes, de quo dictum est partim superius. Ex his enim tandem spes non uana concipi possit, aliquando futurum, ut doctorum copia habeatur, quo ueluti stellae ualerent plurimos ad iustitiam erudire, & temporis successu ecclesiam dei uniuersalem in uita ac doctrina reformare.

Quid curandum in Academijis. Cap. VIII.

Neq; ignoramus multa ac diligenti uisitatione opus esse in Academijis, quae primis curare necesse erit, ut optimi quoque libri in singulis praefectionibus ac disciplinis per doctissimos professores statis diebus ac horis uigilantissime praelegantur, enarrenturque Deinde, ut scholasticis uiuendi regule praescribantur, nempe ut bonis disciplinis uacent, a pompis, comestationibus, ebrietatibus,

alee ludis, dissensionibus a rixis abstineant, ut prodigi esse desinant ac quisque se suo modulo metiatur, ut factum omnem ac doctrinae supercilium deponat. Nec incipiant esse magistri, priusquam fiant discipuli. Quot enim sunt, qui magistrorum ac doctorum insignia ambiunt, ac per ambitum extorquent etiam qui nunquam eam artem quam post magisterium profitentur, uel a limine salutarunt, quod quam turpe ac indecorum sit, nemo ignorat.

Nihil imprimendum aut uendendum, nisi reuisum prius. Cap. IX.

Praeterea quum per abusum artis impressoriae librorum plurimum malorum emerferit, prohibemus, ne ulli Typographi aut Bibliopola quempiam recens editum librum aut chartam uel imprimant, uel uenum exponant, uel uendant publice uel occulte, nisi hic liber reuissus, & charta uel scripturam uel picturam continens, per nostros ad hoc deputatos commissarios diligenter perspecta sit prius. Quae & Typographi nomen & cognomen complectantur, atque eam ciuitatem seu oppidum in quibus excusa sunt, nominatim designent. Quae uero his caruerint, nullo pacto uenum exponantur. Porro Typographi, Bibliopola ac reliqui librorum instatores ac geruli qui huic ordinationi contrauerint, praeter confiscationem librorum, poenis etiam legalibus ac pragmaticae constitutioni Augustanae subiacebunt. Contra quos in territorijs nostris Fiscalis noster acerrime inquirere ac ad iustarum poenarum declarationem procedere non omitet.

Hicrony.

Pragmat.
August.

e. super specul.
la. de magistr.